

Ein ungedruckter Bericht aus dem Arelat vom Jahre 1251.

Mitgetheilt von R. Sternfeld.

Guido Fulcodii, Beamter des Grafen von Poitou und Toulouse, (nachmals Papst Clemens IV.), erstattet seinem Herrn Bericht über seine Nachforschungen nach der Lehnzugehörigkeit des Gebiets von Sault in Forcalquier, welches nach sachverständiger Auskunft weder vom Reiche noch von den Grafen der Provence abhängig sei (1251).

Excellentissimo domino suo Alfonso, dei gratia comiti Pictavie et Tholose, Guido Fulcodii, suorum minimus, sue parvitatis humilem famulatum.

Ut mandatum vestre dominationis exequerer, inquirens, an terra domini Agouti de Salto sit de feudo domine comitisse Provincie, ratione comitatus Forcalquerii, locutus sum cum domino Barralo cum debita diligentia, qui mihi dixit, se penitus nichil scire nisi, quod per instrumenta facta quondam inter comites Tholose et Folcalquerii constat, certos esse limites comitatum et secundum illa instrumenta terra dicta stabilis remanet infra limites comitatus Folcalquerii. Dicit tamen dictus Barralus, quod nunquam audivit dici nec vidit, quod dicta terra esset recognita alicui comiti Folcalquerii vel Provincie vel Tholose. Postea inquisivi secreto per fide dignos et antiquos, et omnes conveniunt, quod nec comitibus nec imperatori fuit unquam recognita dicta terra, et hoc confirmatur per famam publicam. Et plus dicunt, quod non est multum, quod venerunt in partes illas vicarii imperatoris, dominus Callea de Gursano, Taurellus de Strata, Henricus de Revello successive, qui feuda imperialia recognosci fecerunt apud Aptam et apud Aurasicam, nec de terra hac fuit facta aliqua recognitio. Comes preterea Provincie, socer et predecessor domini fratris vestri, cum omnibus vassallis suis intravit Venaissinum ad depopulandum agros et vineas, et dominus Agouti, qui erat vicinus, non fuit cum eo nec contra eum, milites tamen ipsius Agouti defendebant terram Venaissini contra comitem Provincie supradictum, et certe, si dominus Agouti esset homo eius, vocasse eum nec sustinuisse, quod